



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

LI. De poena contrahentium clandestina matrimonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

Cum inhibitio copulæ coniugalis sit in tribus vltimis gradibus reuocata, eam in aliis volumus districte obseruari. Vnde prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis clandestina coniugia penitus inhibemus: prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generliter prorogando, statuimus vt, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, vt infra illum qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum opponat. Et ipsi presbyteri nihilo minus inuestigent, vtrum aliquod impedimentum obſistat. Cum autem probabilis apparuerit coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis.

Si qui vero huiusmodi clandestina vel interdicta coniugia inire præsumperint in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ vel saltē affectatores ignorantiae videantur. Pari modo illegitima proles censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum in conspectu ecclesiæ contrahere præsumperint.

Sane si parochialis sacerdos tales coniunctio-

<sup>ANNO
CHRISTI
MCMXV.</sup> nes prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis qui eis præsumpserit interesse, per trienium ab officio suspendatur, grauius puniendus, si culpæ qualitas postulauerit. Sed & iis, qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concessu, condigna poenitentia iniungatur. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam malitiose impedimentum obiecerit, ecclesiasticam non effugiet vltionem.

LII.

Licet ex quadam necessitate præter communem formam alias fuerit institutum, ut in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valeret testimonium de auditu, cum propter breuem hominum vitam testes de visu deponere non valerent usque ad gradum septimum computando, quia tamen pluribus exemplis & certis experimentis didicimus ex hoc multa pericula contra legitima coniugia prouenisse, statuimus ne super hoc recipiantur testes de cetero de auditu, cum iam quartum gradum prohibitio non excedat, nisi personæ graues extiterint, quibus fides merito sit adhibenda, & ante motam litem testificata didicerint ab antiquioribus quidem suis, non utique uno, cum non sufficeret ille, si viueret, sed duobus ad minus: nec ab infamibus & suspe&tis, sed a fide dignis, & omni exceptione maioribus, cum satis videretur absurdum illos admitti quorum repellerentur auctores: nec tamen si unus a pluribus, vel infamis ab hominibus bonæ famæ acceperint quod testentur, tamquam plures & idonei testes debent ad-

Cc iij